



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Aidanus Ep. 31. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceret migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoq; longè plurimos jungebat, mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi tectum cælum, cubile terra, culcitra cili-
cium, cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potius quàm indormiebat; quò mollius tamen ja-
ceret, lectulum hunc suum lacrimis quotidie la-
vabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in
arenam à Petro Vercellensi Antistite, cui una cum
pluribus aliis capto libertatem apud barbarum
Regem exoraverat, Cœnobitis Lacedensibus præ-
esse iussus est, dum vitâ simul & munere est fun-
eris. Porrò quem ad geniculari ad tumulum Divi
cernis, fratrnæ cædis reus est. Hunc cùm suppli-
cem Sacerdos quidem, sed non conscientia absolu-
veret, annos plures à domesticis furiis agitatus
malaciam tandem animo apud cineres BONONII
reperit. Veniam nuntiarunt ruptæ ultrò manicæ,
quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio in-
duxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pul-
chrius tamè suspensa tumulo BONONIVM ornant,
quàm Manlianî, quos olim abjecerat, torques fa-
cturi fuissent? Ex Gabr. Palesto.

*Licet cecideris, licet fueris in scelera devolutus, vide
ne desperes; remansit tibi unde piissimo satisfasias cre-
ditori. Absolvit vis? ama. Charitas cooperiet multitudi-
nem peccatorum. S. Petr. Chrysol. Serm. 94.*

S. AIDANUS E P. 31. Augusti.

Hic ille AIDANVS est Lindisfarnensis Ponti-
fex, quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum

Aug.
ceres
ndus
mer-
ando
fidei
nmo
etit.
cili-
labat
en ja-
ie la-
cus in
cum
arum
s præ-
c fun.
Divi
appli-
absol-
itatus
IONII
nicæ,
io in-
n pul-
rnant,
ues fa-
, vide
ias cre-
titudi-
Ponti-
o subji-
endum

JI. Aug. VITÆ SANCTORVM. 427
ciendum purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) suprà diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia, quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna dives fuit , hodie externæ culturæ est indiga. Cæterùm AIDANVS, uti multùm Regibus , ita plus aliquantò familiaris mendicabilis fuit. Ex his cùm uni equum donasset phale- ris regiis superbūm, & Oswini (frater is erat Regis) nobile donum, succensuit nonnihil Oswaldus & objurgavit AIDANVM. At cùm hic pauca pro se dixisset, atque id tantùm quæsivisset ex Oswaldo, plúsne equum hominis mancipium , quàm in paupere homine Dominum Christum adamaret? continuò in sese primò Rex, mox deinde in genua coram AIDANO descendit , & à Pontificiâ tiarâ veniam Regiæ coronæ rogavit. Et abstulit non hanc tantùm , sed mortis etiam beatæ nuntium, cùm modestissimo Rege non digna jam esse superba regna dictitaret AIDANVS. Porrò cùm hic in iratum mare oleum immisisset , oleo mitius etiam mare vidisses. Flamas quoque , quas ty- rannus Penda urbi injicere parabat, in suas partes traxit, & aversas ab urbe in hostes armavit. Ita viator è vitâ abiit non sine triumpho , quem D. Cuthbertus tunc puer ducere illum in cælum vi- dit multo lumine nobilem. O triumphum tuum AIDANE sequi etiam nos pileati olim possimus !
Ex ven. Bedæ hist. Eccl. l. 3.

Per misericordias pauperum misericordiam paremus, ut possimus esse de poenâ liberi, & de salute securi: gratis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericor- diam: qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit, decurrit ad poenam. S.P. Chrys. serm. 8.,

SEP-